



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

I. Lvtherus quasdam Ecclesiae ceremonias retinuit, Calvinus omnes
penitus abolevit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

IV. Ceremonia diuinum cultum augustiorem reddunt.

V. Diabolus ceremonias ex Ecclesia profigauit.

VI. Paganorum religio velut simia fuit Christiana.

I. **C**alvino modestior Hæresiarcha Lutherus, quum Ecclesiam suam erigeret, tum in ritibus, tum in doctrina, multa retinuit ex more Ecclesiæ Catholicæ, vt dictum est à me superioribus libris: quin & in Epistola quadam ad Galliarum Regem in hac sententiam scripsit. Quum mundus non possit carere Ceremonijs, nescio ad quid conducatur, veteribus relictis nouas introducere. Multa apparent veteris Ecclesiæ vestigia, in noua illa, quam ipse constituit. Templorum structura, Altaria, Ornamenta, Calices, Imagines. At Calvinus, contraria prorsus ratione, in nouam omnino formam Reformationem suam instituit, optima quæque, quæ veterum sapientia & sanctitas nobis reliquerat, funditus euertens. Sane doctrinæ ipsius capita hic referre, non est mihi propositum: longius enim à primario meo scopo recederem, & præterea quantum opus est, obiter ea attigi superioribus Capitulis, & deinceps quoque subiade attingam. Illud tamen ad Historiam eius pertinere visum est, ordinem Ecclesiasticum ab ipso institutum ob oculos ponere, quum ab eo suum quoque mutuata sit Gallicana Ecclesia ea, quæ se Reformatam appellat. Roma illorum, & Imperij sedes, Geneva est: hinc profecta sunt omnia Consilia tam ad Religionem pertinentia, tum ad Rem publicam, quorum nos experti sumus tragicos & deplorabiles effectus. Itaque facta conspiratione aduersus Ecclesiam Catholicam, generale promulgatur Edictum, quo iubentur abrogari omnes ceremoniæ, solitæ in Ecclesia obseruari, ornatus, decori, & solennitatis gratia, tam sanctæ & diuine rebus præsentibus, & mysteriorum magnitudini accommodatæ, vt ab essentia illorum inseparabiles videantur. Animaduertebat enim, fieri non posse, vt Ecclesiam suam aliqua eondecoraret Ceremonia, quæ non nihil haberet Maiestatis, nisi eam à nostra, tanto pulchriore atque illustriore, desumeret: ideoque omnem omnino earum memoriam statuit abolere, spoliataque veteri Ecclesia, nouam suam prorsus pauperem, nudam atque inornatam relinquere. nec sane absurde; nam quæ sit ipsa inuisibilis, & tota spiritualis. Ceremonijs, quæ in contemplationem diuinitatis eam rapiant, haud indiget. Quin etiam non desunt auctores,

qui dicant, voluisse eum in locum diei Dominicæ diem Iouis substituere, quum Sabbathi non posset, ne videretur Iudaizare; nec Veneris, quem Mahumæces obseruari iussit. Sed visa est ea nouitas nimium periculi habere. Itaque tot augustarum cælestiumque Ceremoniarum vsura tollens, perinde fecit, vt Origentini, qui Regis sui odio, quum aduersus ipsum conspirassent, & vitæ ipsius insidias struxissent, publica lege interdixerunt vt nemo deinceps cæculos vteretur amictu, idque hanc solum ob causam, quod satellites ipsius, huius coloris vestitu vterentur.

II. Ceremonia ista, inquit Calvinus, reliquia quedam sunt, veteris Paganismi aut Iudaismi. Quid attinet, tantum auri, tantum argenti, tot vasa preciosa, & alia eiusmodi ornamenta comparare ad seruendum Deo? Vana sunt ista omnia, & male collocata. Ad prædam fratres, ad prædam. Idem dicebat Pseudopropheta ille Iudas de vnguento & balsamo precioso, quo pedes Seruatoris volvebat sancta Pœnitentia. Suffimenta illa & thura (ait Calvinus) inuenta sunt Ethnicorum, consuetudines prauæ, plena idololatria. Sane Ethnicis ijs sunt vsi. Orpheus id ostendit in Hymnis, quos falsis suis dijs cecinit, cum fumigationibus thuris aliorumque odorum suauium. Sic Nepruno Myrrham, Ioui storacem, & Esculapio Mannam adolebant. Iudæi quoque vsi fuerunt incenso, quod compositum ex duodecim speciebus aromatum, gratum fragrantemque odorem spirans, & admirabili quadam ratione, prunis altaris iniectum, rectè cælum versus magno impetu fumum iaculabatur, minime hac illac, vt alij fumi solent, aberrantem. Sed hoc non obstitit, quominus etiam Christiani eo vterentur, vindicantes Paganismum, in quo moralis hæc ceremonia à Iudæis desumpta fuerat. Quam tamen Traditionem ab Apostolis deriuatam fuisse, ex quarto Canone apparet, vt manifestus sit error eorum, qui Leoni Tertio eam tribuerunt. Eiusdem meminit in Ligturgia sua Iacobus Apostolus, vt videre est etiam in Missis antiquis S. Basilij & S. Chrysostomi, quas Christiani Orientales canebant. Vide S. Dionysium in Hierarchia sua, D. Ambrosium in Lucam, & veteres omnes. Constantinus magnus thuribulum aureum misit D. Nicolao. D. Ambrosius Angelos precatur, vt incenso Altarium & Sacrificio assistant. Contra Calvinus incensum reijcit: & thure non aliter abigitur, ac Asmodæus apud Tobiam odoramentis Angeli Raphaelis. Vt similitudo sit hac in re inter Calvinum & Dæmonem